

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. XIII

urn:nbn:de:bsz:31-105555

Ipsa enim illuminatio, cum gratiosa vocatione, indivulso quodam nexu conjuncta est: *Expergiscere, qui dormis, & surge a mortuis, & illucescet tibi Christus. Epb. V, 14.* Præterea sentiunt in se 3.) gratiam, ex Verbo Legis terrenam, *Act. XXIV, 25, 4.)* conterentem, *Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. 5.)* erabentem *Jo. VI, 44. &c.* Quid, quod ipsius gratiæ indicia sat illustria sunt; esse in regno gratiæ *Matth. 21, 43.* audire Verbum gratiæ *Act. XIV, 3.* frui Sacramentis, veluti sigillis gratiæ, *Rom. IV, 11.* consequi annunciationem gratiæ, à Ministerio reconciliationis, *2. Cor. V, 19, 20.* Ecquis igitur præcisam his ipsis dixerit omnem gratiam, quibus tot gratiæ documenta supersunt? quique tam insignibus Dei beneficiis, ad capevandam ulteriorem gratiam, ipsamque adeo salutem, invitantur?

§. XIII.

Sed cum IV. sæpe in Ecclesia, & recte credentium cœtu, reperiantur homines, pœnitentiam differentes, & Spiritui Sancti adeo resistentes, ut excœcentur tandem, & lenitate Dei abusi, penitus indurentur: quin & Spiritum gratiæ contumelia afficiant, *Filium Dei conculcent, & sanguinem Testamenti, ceu rem prophanam, habeant,* velut describuntur atrocissimi illi peccatores in Spiritum S. *Heb. X, 29.* quæstio suboritur: quid de illis statuendum sit? & num his quoque ullam Deus gratiam reliquam esse velit? negant illud novatores ac pernegant. Sed enim vero, Cainitica vox ista erat: *majus esse peccatum, quam ut remitti possit. Gen. IV, 13.* Eandemque refellit Paulus, inquit: *ubi exuberavit peccatum, ibi super exuberavit gratia. Rom. V, 20.* Itaque quod excœcatos illos atque induratos attinet; ab amissione gratiæ, ad peremptoriam exclusionem à gratiæ, non nisi

nisi vitiose colligitur. Etsi enim homo, ad divinas admonitiones, tanquam ad clarissimam lucem oculos claudens, respuat gratiam; ipseque Deus inexpugnabilem malitiam, subtractione gratiæ inhabitantis, justificantis, quin & illuminantis, puniat; tantum tamen abest, ut ab ipso gratiæ throno (θεσόνον τῆς χάριτος) Deo vendicat Apostolus *Heb. IV, 16.*) arceat hos peccatores, penitusque excludat, ut potius ardentius quærat illos, quo longius sese subduxerant. Dulces admodum & plenissimæ solatii sunt Parabolæ, de homine ovem perditam quærente, itemque de muliere, ob perditam drachmam, lucernam accendente, verrente domum, & diligentius quærente, donec inveniat, quod amiserat, *Luc. XV, 3. 8.* Quo ipso murmurantes Phariseos & Scribas compeſcebat Christus, dicentes: *hic peccatores recipit, & cibum capit cum illis ib. v. 2.* Solide hanc difficultatem explicat B. Rappoltus in *Disp. de Impiorum excæcatione*, cum ita differit: *Deum, ne in ipso illo statu ἀπολεία spiritualis, omni gratia excæcatos destruere patet. Irradiat enim eos lumen Evangelii, etiam tum, cum excæcantur; perinde: ut non cessat lumen suum impertire mundo Sol, tametsi sint in mundo, qui oculos ad illud suos claudant. Privatio, ne irradiantur, præsupponit habitum, irradiationis præsentiam. Itaque desertio vel subtractio gratiæ, vel est absoluta, vel hypothetica. Deus hominem se excæcantem atq; indurantem deserit ac privat gratia sua, non absolute, sed hypothetice, si maneat in ista sua excæcatione & obduratione. Quod autem non absolute, ostendit ejus longanimitas & tolerantia, usque ad præstitutum tali peccatori terminum; quam iccirco πλεον, divitias, abundantiam, copiam, thesauro iræ oppositam, signatissimo vocabulo Apostolus appellat. *Rom. II, 4. 5.* Opp. p. 1662. De ultimo autem termino judicii, auctorem loqui, vel inde liquet, quia locum de extremo hominis statu allegat,*

legat, quo patefiet justum Judicium Dei, & unicuique reddetur pro factis suis l. c. Deinde adductis exquisitissimis argumentis, concludit: *absit itaque, ut doceamus, Deum prae se nolle, à semel excœcatis atque induratis, sibi posthac præstari obedientiam, ipsosque cum diabolis exclusos esse ab omni spe gratiæ.* Denique argumentum nectit, & pro conversione excœcatorum possibili, sic concludit: *Quicumque Evangelium, suo tantum, non Dei velamine tectum habens, eoque ipso tempore, quo excœcantur, irradiantur Φῶς καὶ seu lumine Evangelii, illi NB a Deo non privantur gratia præveniente, sed sublato illo velamine (2. Cor. III, 16.) converti ad Deum, salvarique possunt. Atqui infideles; Ergo. Quantum ad peccatum in Spiritum Sanctum spectat, ne illud quidem atrocitas sua facit, ut, quoad peccator in via est, omnis plane commiseratio ac gratia divina, eundem destituat. Dicitur Irremissibile hoc peccatum, B. Gerhardus inquit, 1. Non ob defectum divina gratiæ, quæ semper exuberat supra peccatum. Rom. V, 20. cum sit infinita. 2.) Nec ob defectum meriti Christi, qui pro omnibus peccatis plenissime satisfecit. 3.) Sed ob pertinacem contemptum mediatorum, per quæ Spiritus Sanctus, ad conversionem & peccati condonationem efficax esse solet, ut si τὸ γινόμενον potius, quam τὸ δυνατὸν exprimat. Diss. Isag. p. 941. Accedit, quod blasphemios in Spiritum S. quales erant Pharisei & Sadducæi, Christus ad pœnitentiam adhuc cohortetur. Matth. 12, 31. conf. cap. 3, 7, 8. Luc. 3, 7, 8. Act. 17, 30. Unde colligunt Auctores, non ἀπὸ Νῶς omnem peccatoribus istis viam ad pœnitentiam interceptam esse, sed ex hypothesis, in quantum contumaces ejusmodi Apostatæ, Spiritum Gratia contumeliis afficere non cessent. Vid. Rappoltus l. c. p. 1665. Hoc in loco Christus redarguit Judæos, B. Thummus inquit, ex miraculis & concionibus Ch isti de veritate convictos, & nihilominus actum in Spir. S. blasphemios.*

Quaritur autem: an conversio & salus eorum simpliciter fuerit impossibilis? Nos negamus. Impiet. Phot. p. 484. Sic & B. Balduinus: Non quod hujusmodi peccatores nullum omnino ad pœnitentiam habeant aditum; bunc enim partim Calvinianorum, partim Novatianorum errorem toto pectore execramur: Item: Absit hoc & in æternum absit. Vide ejus Disp. XII, in Art. Smalc. §. 58. 65.

§. XIV.

Hactenus de iis, qui intra Ecclesiæ portuaria consistunt: de quibus etiam potissimum quæstio movetur. Quoniam vero & ad illos extenditur controversia, qui extra Ecclesiam sunt: poterat quidem huc illud Apostoli referri: *quid ad nos attinet, etiam de his, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5, 12.* Namq; hæc responsio curiosis & vanis hujusmodi quæstionibus plane satisfacit. Interim tamen, velut *ἐκ τῶν ἁγίων* hic distinguendum censemus, *inter tempus gratiæ; & inter ipsummet regnum gratiæ.* Jam de paganis, & quibuscunque aliis infidelibus, dicendum non est, quod cives regni gratiæ existant, cum hostes potius Christiani nominis, appellandi sint: Interim tamen recte affirmatur, quod in tempore gratiæ adhuc degant. Nemo enim hominum a Messiaë beneficiis, dum vivit, excluditur. Est enim *constitutus in signum populorum, ut eum querant gentes, Es. 41, 10.* Ergo nullo non ætatis tempore quæri & inveniri potest. *Datus est in lucem gentium, ut sit Salus usque ad extremitatem terræ, Es. 49, 6.* Ergo nullibi locorum ad eundem interclusus est accessus. Ac, ne quis fatali quodam termino gentiles putet exclusos ab Ecclesia: *Christus intergerini parietis septum sustulit* ut gratia hæc omnibus ac singulis pateret. *Eph. 2, 14.* Et si proinde tam solenniter & clare non semper revocentur apostatæ, uti posterius Adami, per deletionem omnis carnis; Noachi successores,